D. T... Josephus.

Sertkowicz Thomas: Novus Ecclesiae Dei phosphorus Divus Bonaventura

NOVVS
Ecclesiæ Dei
PHOSPHORVS
DIVVS
BONAVENTVRA
DOCTOR SERAPHICVS,

Annuo festiuitatis suæ die

IN

Amplissima Magnorum Hospitum
Corona

Ad sacras Ædes D. FRANCISCI *Patriarchæ Seraphici,*
Celeberrimi Conuentûs Cracouiensis,

PANEGYRICA ORATIONE

PER

M. THOMAM SERTKOWICZ,
In Vniuersitate Cracouiensi Philos: Doctorem
& Professorem,

CELEBRATVS.

Anno exorti in terris Solis Iustitiæ 1681. Die verò 14. Iulij.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

In Gentilitium
ILLVSTRISSIMÆ ET EXCELLENTISSIMÆ DVCVM IN CLEVAN ET ZVKOW
Domûs Stemma.



I, celerem fer Magne gradum Bellator, & inſta
Inuia quo placitam vota dedêre viam,
Quo Te cunq; feres, metam properabis ad vnam,
Deſtinat hanc Famâ iudice celſus Honor.

Ioannes Conſtantinus de Zakrzow Zakrzowſki, in Academia Cracouien: Studioſus Rhetorices.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CASIMIRO NICOLAO

DVCI IN CLEVAN ET ZVKOW

CZARTORYISKI,

Cracouienſi, Vilnenſi Cathedralium CANONICO, &c. &c.

Ad Iudicia Generalia Tribunalis Regni ELECTO IVDICI DEPVTATO, DOMINO ET PATRONO AMPLISSIMO.

Auctor S. & P.

N*Ouus Eccleſiæ* DEI *Phoſphorus, auitum Cæli Seraphici Sidus, cùm in vmbris latere non debeat, publicam ordiri lucem, non aliundè illuſtriùs cenſuit, quàm ex Illuſtriſſima Principis in Regno Domûs* TVÆ *Porticu,* ILLVSTRISSIME *ac* REVERENDISSIME PRINCEPS. *Erubeſcit roſeum auroræ iubar ſine purpura conſpici, & cùm in Seraphico* BONAVENTVRA, *Vaticano murice purpuratum inceſſerit, Trabeas iterum & conchylia quærit: vt nihil ſolita cultûs ſui de Maieſtate remittat.* TIBI *auguſtæ Domûs hæreditarius ſplendor, natales cunas, tot Heroum paludamentis ac Oſtro Ducali circumfudit; faſciæ infantiles, aureos inuoluerunt Faſces, & primum vitæ diluculum cognatæ lucis multiplici radio ſerenus accendit meridies; vt nullibi panderet auguſtiore ſibi pompâ, diuinior hæc purpureas aurora fores, & plena roſarum atria. Solis equos, roſis ab aurora fuiſſe paſtos, Veteris ingenij commentum eſt; niſi Gentilitij* TVI *Equitis in prærogatiuam cedat; quòd auguſto Magni Sanguinis influxu ad vſq; Solia erumpente, coronatos Lechiæ Soles, à Magnis* IAGIELLONIBVS & KORYBVTIS *continuata ſerenitate vexerit; Baſilica Regni Quiritum Laticlauia, Curules & Tiaras Ducum, dotalis purpuræ immarceſcibiles roſas, inter primæ ætatis bellaria numerauerit. Alet etiam num haud dubia muricis Infulati ſpe,* TVVM *in* TE *Bellorophontem, Seraphicæ Religionis Phoſphorus, & dum affulgente Illuſtriſſimi Nominis patrocinio, publicam ſpectabit lucem, amplioribus honorum incrementis, qui vel nunc tàm ſublimi creſcunt in* TE *faſtigio, bono omine prælucebit. Quanquam immortale* TVI *Equitis veſtigium ſecutus, feliciter iam*

grandem honorum Appiam iussisti: dum ipse Vavelli apex, limen & praeambulum TIBI *sternit, & Mitra natali insigne Caput, triplex diadema incingit; vt surrecturae ad celsiores Infulas magnitudini, regio ternione praeludat. Diua Tribunalitij Areopagi Themis, Magnum* TE *& Lycurgis ac Minoibus parem gloria aequitatis Iudicem susceptura, gladiumque lancemque suam, Lynceae menti* TVAE *in coronamentum parari gloriatur, bene conscia, dexterrima Gentilitij Equitis in manu, illum vibrari ensem, qui non minus in praecisis fortiter hostium ceruicibus, Triumphales metat laureas, quam Gordio plusquam nexu, implicitos difficultatum nodos Macedonica felicitate resoluat. Ingenium* TIBI *quantaecunque fortunae & gloriae capax, ac Principi parem genio indolem, Princeps Regni Schola Cracouiensis* VNIVERSITAS, *lectissimo Sapientiae cultu imbuit, dignamque firmauit, quae ab insigni sceptris Regalibus Helicone, ad sacras Lechici in Vauello Capitolij Coronas procederet, exteroque etiam in Orbe, Illustrissimi Nominis Maiestatem, coronis vbique dignam circumferret. Hausit delicium Orbis* ROMA *nectar illud dulcissimi* TVI *pectoris, dum ingenijs elegantijsque omnibus florentes, gratissimi coelo Tyberis ripas, noua tecum vberrimo torrente inundaret amoenitas, & Septenos Quirini colles porrigeret plane altius, vicinior in* TE *Heroum tot ac Principum celsitudo. Adorarunt par in* TE *decus reliquae venustiores mundi partes, Coturnis perennibus signaturae quidquid vel momentaneo gressu immortalitati legendum impressisti. Quae vero in Patriam restuxit tecum non minus liberalis famae vbertas! Chrysologo suppar pro sanctioribus Rostris facundia, aureo saeculo dignas dotes, sub aurei sermonis emblemmate pingit: dulcisque melleae Suadae Hybla, rediuiuum in Ore Ambrosium referens, arcanam mentis ambrosiam luculenter fundit, auribus aeque ac animis audientium profundos Diuinae voluptatis gustus. Ardet Vesuuio plane integro Seraphicae Religionis, Vestalis plane, quia Illustrissimae Domui* TVAE *perpetuus amor: in* TE *cum augusti Sanguinis lactisque nutricij haustu deriuatus: & sub Materno* ZEBRZYDOVIANI *decoris* VEXILLO, *immortalibus beneficijs* TVIS *immortalia trophaea struit. Sacer ille, ipsique (si nomen & rem spectes) Olympo suppar Caluariae Mons, sicut Maternae Domui* TVAE, *felicissima Tituli ac Honoris sui auspicia; ita* TIBI *incrementa & cumulatos splendores in acceptis refert, in cuius tenui passu non penetrabile iugum Oraculo Philippi felicius, onustum liberali auro, impellis* TVVM *Equitem, vt nimirum profusae in Superos beneficentiae, argenteis hastis, coelestis Hierosolymae portas expugnes, ac ipsis de Coelitibus, munifica humanitate triumphes. Vt nihilominus tardum sereni postibus aetheris* TE *Sidus addat, Coelestis huius Phosphori ab Illustrissimo* TVO *Nomine lucem quaerenti cura laborque erit: ac meum supplex & liberale votum: vt qui primitias publici in* TE *cultus mei, grata manu menteque suscipis, prima summi & diuturni honoris culmina, Archi-Praesuleo Celsissimi* PATRVI TVI *vestigio praecalcata subeas, & non interruptis fortunae gloriaeque successibus* TVIS, *sero tandem respondeant vltima primis. Ita precor*

ILLVSTRISSIMÆ ET REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ

Cliens deditissimus

M. THOMAS SERTKOWICZ, Philos: Doctor & Profess.

ORATIO.

ILlapsa terris sidera, aduenas inter homines Phosphoros, nunquam sublunari hospitio excepit natura; quin ista miraculi nouitas, vniuersas mortalium mentes raperet in stuporē, AA. Prouida humanis vsibus Parentis rerum naturæ solertia, cùm vastam hanc cæli terræq; molem, perennibus stabiliret fundamentis, sua cuiq; loca, proprias rebus singulis stationes defixit: plantis, animantibus, totiq; mortalium generi, longè lateq; patentem terræ ambitum; astris, sideribus, & quidquid supra mortalitatem assurgit, sublimes Cælorum orbes ac regiones concessit; ac planè lege non violandâ sanxit; vt suæ dispositionis ordinem, alternæ mutationis vicibus, nunquam inuerteret malè sana temeritas. Infreni equorum cursu Solem Phaëton acclinauit terris, cereis Icarus pennis inuolauit cælos, an non iustas temerarij ausus pœnas vterq; luit? ille medijs in ignibus, & fatali Orbis incendio, hic iratos inter Pelagi æstuantis fluctus æstum ambitionis suppressit & extinxit. Quid mirum si magnificam vrbium maiestatem, decennio tantùm expugnabiles Troias, centum portis patentes Thebas, fœcundas Sapientûm Athenas, totq; multiplici apparatu conspicuas vrbes, in hac terrarum capacitate sitas, structasque intuemur? si cælis verò illæ, sua inferant fundamenta; & è contra cælorum luminaria, perennes astrorum faces collucerent in terris, an non omni prodigiosiùs miraculo censeretur? Sed cùm ego hodiernâ die splendidissimum in terris (nisi cælo æmula sit Seraphica Religio vestra Patres Religiosissimi) Phosphorum conspicor geminos iam in terris Phosphoros, alterum in Cælo sidereum, alterum Sanctissimum in Orbe BONAVENTVRAM, oriri & morari non miror. Lux Phosphori, cuius serenitatem ex opaca emergentem nocte oriri nobis gaudemus, corporeo illucescit obtutui. At hoc lucidissimum in Vestro Olympo Sidus, cuius lumen, vt ante sibi Maiores, ita nobis nunc luxisse gratulamur, animis

 menti-

mentibusq; præfulget. Ille mutis etiam elementis, hic imagini diuinitatis homini diem affert, lumenque affundit tantò illustriùs, quantò nos homines, bruta animantia rationis nobilitate superamus. Ille matutinas vigilias agens, somnos remissiores rumpit; hic Argum centoculum pro Vestra securitate agit, lumen copiosissimum Sanctitatis & Sapientiæ auitis splendoribus Vestris accumulat & infundit. Agnoscimus ergo geminos terris lucere Phosphoros, nec quòd duo sint miraculum est; sed quòd terrestris in BONAVENTVRA sereniorem, fulgentioremq; Orbi Nostro promittat radiorum splendorem, libeat interim contemplari. Det igitur meritos plausus nouo, tamq; sereno suo lumini, densa tenebrarum opacitate circumfusa terra, det meritos encomiorum census, vigili suo Lucifero, ex illoq; fortunæ suæ vestigia, non sic vt olim antiquitas ex pecudum inspectis visceribus vano extispicio rimabatur, vel vt ex oscinum cantu, aut volatu, ex quibus euentuum arcana superstitiosâ diuinatione sumebat, sed longè capiat veriora. Certiorem suæ sortis illuminationem, & felicitatis augurium, vniuersa, & quæ iam venerunt, & ventura sunt, bona, ex Optimo BONAVENTVRA totus sibi ominatur Orbis. Tvæ verò istud felicitatis laudisq; est, quòd tanto illustrissimum splendore Phosphorum, Tua inter Religiosæ pietatis luminaria, terris cælisq; exhibeas verè Maxima Minorum Religio. Circumfudit quidem liberalis serenitatem Tuam fulgor, dum tot in Sapientissimis Doctoribus, inuictis pro Deo Heroibus, eminentissimis Ecclesiæ capitibus lumina accendisti; speciali tamen lucis Tuæ accessu fulges: dum hodiernum producis Phosphorum, qui omnibus splendorum Tuorum promptuarijs, & maximæ terrarum felicitati bono omine anteiret. Nouum ergo in terris Phosphorum in Seraphico Doctore Tuo, producam ego hodie: Si Tua imprimis Sanctissime & Sapientissime DOCTOR, lux dicenti affulgeat: & Vestra audiendi beneuolentia, placidissimo humanitatis radio, meæ tenuitatis vmbram illustret ac comitetur.

Vniuersa inter, Diuinæ circa conditam Orbis molem, prouidentiæ ac destinationis argumenta, quibus inexhausta Omnipotentis dextera, mortalium generi largè se communicauit, familiarissimum & veluti compendiosum specimen, Phosphorus censeri debet, AA. Ille scilicet in tertio super terram Orbe situs, omnibus sub Luna creatis vicinus & amicus, in tenebrarum periclitantis naturæ præsidium & decus constitutus, spatia noctis temperat: fortiorem post otia

somni

ſomni in rebus peragendis virtutem, ad curas laboresuè diei reuocat: hos demum ipſos certo temporis limite circumſcribit: dulcia laboribus otia imponit: noctis quietem conciliat: Solis & Lunæ mutuus anteambulo, ſolâ nominis non virtutis metamorphoſi, ex Phoſphoro in Heſperum tranſit. Magnitudinem ſi conſideres? largior illi eſt quàm alijs ſideribus, qualitates ſi ad numerum redigas? plurimæ illæq; optimæ, vel ex inde cenſeri poſſunt, quòd illius beneficio & influxu, plurima imò prorſus omnia in terris producantur. Non iniquus tanti pretij æſtimator fuiſſe mihi viſus, quiſquis Phoſphorum ſeu Auroram, auream dixit horam, quòd ſcilicet fœcundo influxuum ſuorum rore, aurea Saturni ſæcula, vel in decreſcentibus hodie felicitatis humanæ reliquijs conſeruet ac tueatur. Cùm puniceo curru, è tenebrarum noctis gremio eluctatus, lucem diemq; in Horizonte Orbi reuehit, illâ ad omnem amœnitatis ſpeciem caſtigatâ fronte, purpuramq; & roſas induto vultu, quanta lætitiæ ſemina, vbertatemq; gaudiorum, vbiq; ſpargit ac effundit, omnia exhilarat, vernare herbas, ridere prata, gemmas in conchis radiare, fontes & flumina ſono dulciori obſtrepere, & quæ planè mortua, atræ noctis tenebræ ſepelierant, hæc rediuiua, ac nouo ſpiritu animata reſurgere, omniaq; in cultum ac priſtinum decus redire facit. Quis hæc Phoſphori Cæleſtis attributa meliori penicillo Tymanthes aut Apelles in Te exprimat lucidiſſimum Eccleſiæ Dei Sidus, noue illuſtriorque Orbis Seraphici Phoſphore BONAVENTVRA? quæ vmbratilis facundiæ colores non poſſunt ex æquo pingere. Hæc omnia, quæ in præſtantiſſimo hoc cælorum ſiderumq; auro, ad pretium & miraculum natura extulit: in Te non compēdium tantùm, ſed etiam faſtigium habent: cumulato ſplendore radiant: vt dubius ſim, an non cùm Tvæ lucis diminutione Phoſphorum Te appellem, qui Phœbum, Cynthiam, & omnia luminum ſiderumque decora, Tvæ ſine macula vitæ intaminatis ſplendoribus ſuperas, & excellis.

Vt tamen curſu ordinato progrediar, & ab Ortu diuinioris iſtius Phoſphori, laudem Illi vectigalem exordiar, quantò prima nataliſq; Lucina affulſerit Illi lumine, feliciſſimi infantis cunas vnà mecum euoluite. Hetruria ſeu Thuſcia, Regionum in Orbe Italo ampliſſima, Sago Togâq; inſignium Heroum ferax, Mineruæ ac Bellonæ alumna, tenello BONAVENTVRÆ ſolum natale bono omine, fauſtisq; ſub penetralibus exhibuit: Balneoregium cæteris Vrbibus, Vrbs præſtantior ſua inter mœnia, primum terreſtris Phoſphori aſpexit lumen, hoc ipſo quibus non coronis, Regumq; inſignibus ac

nomine digna! quod ſuperſtitioſo Phœnicenſium ritu, feliciùs orientem Illuſtriſſimi Sideris iſtius lucem, prima ſuſpexerit, ſuſceperit, adorârit. Præludat iam mendacijs ſuis veriori orbis hodierni fortunæ, ludicra Poëtarum eruditio, & primitiuum diei lumen cum Oriente Sole, ab Oceano hauriat, ab vndis accendat, & infectum diei puluerıbus Phœbum, in roſeis auroræ balneis pulcherrimè lotum, luci ſuæ reſtituat. Nos certè primum Phoſphori diuinioris ortum, illi debemus orbis parti, quam Tyberis littora circumfundunt: niſi certè auſpicatiſſimum Sidus iſtud, vel Solem ipſum, ſuâ ex inde felicitate obſcuret: quòd Balneoregio quidem ortum, illimes luminis ſui radios, in primo ſtatim lucis publicæ hauſtu, adeò puros exhibuerit, vt illa demùm de eo vox audiri meruerit; Originalem humani Proto-Parentis noxam caſtiſſimo eius animo non adhæſiſſe. Sed quæ hæc in illuſtre adeò vel primo à limine vitæ, Phoſphori Noſtri lumen, fatorum malignitas conſpirat? vt in primo ſtatim ortu feralem Illi occaſum acceleret, ac penitùs extinguat. Validiſſima morbi vis, inuadit tenellum Puſionis corpuſculum, ver infirmæ ætatis florentiſſimum, ſed procellis ac tempeſtatibus fati acerbioris impar, ſæuæ ægritudinis durus Aquilo confundit: ut illa tot votorum capax & fæcunda ſpes, vix teneram in herbam effloreſceret: mox prodigâ, Parentales in luctus, Parcarum manu præcerpta, non ſperati odorem gaudij diffunderet, ſed triſti Veſanæ falcis exſpiraret ſub ictu, omniumq; oppreſſis cordibus, violentos luctus, crudoſq; dolores inſpiraret. Succubuiſti decumbentis geminæ calamitati, Filij vnicè dilecti amantiſſima Parens Ritela, ille ipſe, qui languidos puſilli corporis artus, vehementiùs excruciabat morbi furor, quàm profundâ cicatrice, Maternum cor Tuum lancinauit! Nihil non agis, nihil non moliris, quod priſtinam Filio valetudinem, Tibi gaudium ac felicitatem reſtituere poſſit: quoſcunq; profundior Æſculapius intimiùs adamauit, omnes lectulum infirmi numeroſo agmine circumſiſtunt: operam, conatus, omnemq; artis potentiam totis viribus exerunt, vt illud boni ominis in BONAVENTVRA Sidus, cui mille vota & præſciæ cogitationes ſublimem honorum fortunarumq; augem deſtinabant: ex illo crudelioris morbi nubilo, in apricum ſerenæ valetudinis reducant. Sed fruſtra hæc ſumptuum curarumq; impendia: cælo natus deſtinatusq; æger, optatæ incolumitati reſtitui non poteſt, ſi à cælis ipſis ſupplicibus votis efficax non requiratur ſubſidium: omniq; antidoto felicior medicina. Galenum vel Hyppocratem curandæ ægritudini huic parem mundus non habet, cæleſti

ſti

ſtiè Myropolio medicabilis herba quæri & accipi debet: vt pulcherrima hæc ſæculi ſui herba, æſtu febrili iam exuſta, inclementiâ morbi iam planè conuulſa, & marceſcens, in deſideratum ſolatij decus iterùm refloreſcat. Præſenſerat id quod loquor, diuinæ impulſu mentis, non minùs ſolicita, quàm ſolers circa Filij ſalutem Mater: & dum nullum ab humana Medicorum ope ſuffragium habet: Diuini ſubſidij ſaluberrimum elixir è cœlo mutuatur. Illud non minùs abiectioris, quàm profundæ in benè conſulendo virtutis ſublime Oraculum Maximum Minorum Patrem FRANCISCVM ſupplex conuenit; tepentia lachrymis ora, ſaucij cordis ictus & vulnera, preces, gemitus, ſuſpiria expedit; omnesq; Materni amoris machinas ſolerter admouet, vt cor illud afflictorum votis peruium, profuſæ in calamitoſos dilectionis Metropolim, ipſâ tantùm modeſtiâ munitum, faciliùs expugnet. Fatiſcens hoc in ipſo Oriente Sidus; nouo terrarum cœlo, Seraphicæ nimirùm Religioni ex voto tranſcribit, ſi prolixior vitæ mora lucere illud diutiùs permittat, ſeq; lugere ampliùs non patiatur. Dedit iuſtæ petitioni locum, humanæ aſylum calamitatis FRANCISCVS, iunctisq; ſupplicibus illius ac Ritelæ deſiderijs, annuunt, & votis ſubſcribunt Aſtra ſecundis. Redijt infirmo exorata ſalus, nubesq; illa doloris publici, commendabiliorem fecit Phoſphori Noſtri eluctantem radium: quem non nihil, turbo ille immitis morbi interceperat. Tu verò exprome iam luculentioribus ſignis, illuſtraturam ad publicum bonum Orbem, ingentis animi & ſpeciei indolem, Magne vel exiguo in corpore BONAVENTVRA: quis ille in annorum Tuorum aurora, præclarè factorum virtutumq; meridies vmbram Orationis incurrit? Togam merita puerilis Prætexta, modicam ætatem prætergreſſi adulti mores, vernans pueritia, non florem ſed fructus & maturitatem circumferens, & puerile nihil præter annos. Attollebat ad magna quæuis animum, cum ipſa quotidie ætate creſcens in luce virtutis Phoſphorus, & quamuis profundiſſimi animi demiſſione, ac modico de ſe ſenſu, luminis futuri ſcintillas & igniculos ſepeliret: erumpebat tamen cœleſtis ſigno multiplici flamma: cui tantùm naturalis quies in ſublimi. Non alienarum ſpectator virtutum, ſed ſpeculum & idéa, hoc in ſe exhibuit totum: quod partitim exornabat alios, omnibus hic conſpicuus & illuſtris extitit: quorum particulæ, ſufficientem alijs dedêre lucem: maior vtique inter Siderum vulgus Phoſphorus, & clarior inter ignes aurora minores. Effuderat liberaliter ſe in formam cultumq; venuſti corporis benignior natura: vt

 ſanè

ſanè vultus illi Priami velut imperio digna facies, Ganimedis & Narcyſſi elegantiam complexus, non diſpar roſeo cœlorum Phoſphoro floreret & fulgeret: lux tamen cœleſtis animi; ſublimior illuſtriorq́; enituit ac eminuit: vt ſibi, ac ſuæ formæ Gratijs, illum Poëtæ plauſum meritò vendicaret.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Quanquam quid hæc ego lucis diuinæ primordia iuuenilibus annis radiantia diutiùs circumſpicio? dum tot ampliores diuinioris iſtius Phoſphori incurrant in aciem, hebetemq́; perſtringant mentis oculum ſplendores: quot innumerabiles ſtellarum ſiderumq́; cohortes, prodromam diurnæ lucis auroram, ſplendenti ſatellitio circumcingunt. Iniurius præclaræ indoli Tuæ Orator eſſem, Sidus Inclytum, ſi illam, heroâ magnanimitate, fatuæ Orbis luci, citòq́; perituris fulgoribus inimicam, tot votis flagrantiſſimis, tot ardentibus deſiderijs, expetito Seraphicæ Religionis Cœlo, quantocyùs non inferã. Quidquid ſupernè ſplendidum, apparenter conſpicuum, accendit illuſtratque mundus, totum id ignes velut cineri doloſo ſuppoſitos, tenebras fucato lumine coruſcantes, Lynceâ eleuatæ mentis palpebrâ penetraſti, calcatoq; victricibus plantis, ſpecioſo hoc ſcintillantium tenebrarum vmbraculo, illuc ſublimis diuinam lucem animi intendiſti, vbi verus ſine fictitio apparatu, mendaciq́; colore ſplendor, extingui neſcius, perenne incendium alit, iubar ſine vmbra ſerenum immortaliter conſeruat. Tuæ hæc virtutis prærogatiua eſt, Seraphica Minorum Religio: quòd ſicut maternam infantis BONAVENTVRÆ deſtinationem, ita non diſpares; ipſiuſmet conatus, luminum decorumq́; Tuorum numeroſis ignibus inflãmaueris; vt non alibi æmulam Phoſphori cœleſtis lucem, pulchriùs à ſe explicari poſſe, quam illuſtriſſimas inter pietatis ad ſapientiæ Tuæ vmbras, fuerit, arbitratus. Præiuêre iam illi quidem, tot apud Te magnæ lucis & nominis auguſti Sidera, quot præceſsêre Diui: BONAVENTVRAM tamen, ſi illuſtrem inter tot prælucentium aſtrorum cœtum, an cœlum veriùs Tuum adſciſcas, Heſperum ne crede: non claudet, ſed aperiet ducetq́; Ille vaſtiſſimum agmen, radiantium totâ æternitate ignium, & anteſignanam ſemper auroram aget, cuius præeuntem vitæ ac doctrinæ perfectionem, diesapud Te ſine occaſu perpetuus comitetur. Inueniet fateor grandes tot ſplendorum cumulos, vel ipſo Sacræ Domûs Tuæ in veſtibulo, ſed non minores inferet ſecum opulenti fulgoris gazas; vretq́; & illuſtrabit viciſſim; dum Tuarum fomite virtutum, vri ſe iam non negat, & mox illuſtrari

lustrari gaudebit. Non defuit optimis BONAVENTVRÆ votis Ordo Sapientissimus: venturo tam illustris doctrinæ ac sanctimoniæ lumini, sacrum limen, promptus, libensq; aperuit; cùmq; daret beneficium accepit, cùm domicilium virtutis pio Iuueni non negaret, amplissimum suæ felicitatis ac gloriæ theatrum excitauit. Refudit & Phosphorus Noster, liberali cum fœnore lucem, quàm à Seraphicæ Religionis hausit titulo; ne alienæ tantùm incumberet famæ, repertam in Sanctissima FRANCISCI Domo gloriam, reciproco præclarè factorum accessu geminauit. Hic illa è profundissimo ad pedes omnium delapsu, in cœlo proximum assurgit fastigium altissima humilitas, continet immensam elogij amplitudinem, mirabilis continentia, austeritas vitæ, durâ fame, acribus cilicijs, indefessâ laborum tolerantiâ, in somnibus vigilijs intensa, diuinam Hyblæ Cœlestis dulcedinem spirat: plusquàm humanæ pietatis fax Angelica, Cœlo Seraphico dignam serenitatem exerit, exactissima cuiusuis operis institutio, numeros absoluit omnes, plenam ex asse complectitur perfectionem. Fatigabunt hæc singula magnorum ingeniorum laudatores calamos, ac eruditis è sudoribus, laudem sibi ampliorem expriment: mihi solam interim Sapientiæ claritudinem, quæ in Seraphico Doctore ad miraculum fulsit, deuotæ mentis obtutui illabentem, venerari fas esto. Diuinæ testimonio vocis, serenissima hæc astrorum Regina, eruditio Sapientissimi Phosphori istius in pectore, Regium sceptri sui decus, diadema, fasces, purpuram, & quidquid Principum ornat solia, omnigeno deposuit apparatu. Septennis ille scilicet in FRANCISCIANÆ Sapientiæ Porticu, tantàm impenso labore ac diligentiâ eruditionem possedit, vt in florentissima Parisiensi Academia, titulum & honorem Magistri consecutus, dignus fuisset visus, qui in illo Orbis & Galliarum Lilieto, ipsa, è communi sensu, lilia loqueretur, & rosas; dum librum Sententiarum magno plausu & profectu audientium explicaret. Cœlestis Phosphori beneficio, amœniores horti, suas delicias & ornamenta, referunt in acceptis: illo scilicet, è noctis tumulo, in publicum Orbis theatrum relabente, puniceus rosarum murex, flagrantiùs purpurascit, violarum pallor, suauiùs intermicat, narcissorum niues, candore suo notabiliores albicant, gemmæ, hortorum lilia, innocens ebur suum, cultu splendidiore irradiant, pictæ florum varietates, lustratorem oculum delectare natæ, pompâ venustiore incedunt. Quanto & Tu gemmei decoris accessu, vernasti tunc, Sorbonense Lilietum: cùm Sapientissimus Ecclesiæ DEI Phosphorus, erudito,

triennio, sublimes in celeberrima Vniuersitate tua exedras illustraret. Loquere pro me hic digniorem Seraphico Doctore Panegyrim Oraculum Parisiense *Ioannes Gerson:* nihil tuæ testimonio laudis docuit ille, quod non plausu & elogio omni fuisset dignum; nihil in fastos vel retulit vel referri iussit, quod non fastis æternitatis inscribi meritum, suo aliorumq; in animo efficaciùs sculperet: nullam eruditionis lucem, doctrinæ scintillam, illustrandis studentium mentibus, Seraphici Spiritûs cœlesti Entheo infudit, quæ non sapientiam pietati, pietatem sapientiæ, germanis nexibus catenaret. Hic demum piæ eruditionis trames, concolorem puræ menti candorem circumferens, lacteam illi instrauit viam, quâ sublimes amplioris in Religione honoris ac æxistimationis titulos iniret: nunquam tamen honorario passu, plùs vltra procedens; nisi simul altiorum virtutum incrementa, eminentioribus vestigijs promoueret. Quis hic fortunatos signet metallo meliore dies? quis auro numeret, aureas beatissimi seculi horas? quæ ab hac Diuiniore aurora, Seraphicis vmbris illapsæ, omnem numerum & pretium excedunt. Annum trigesimum secundum, secundo sidere agens BONAVENTVRA, quàm sublimi loco, Seraphico in Cœlo, sapientiæ ac pietatis, magnis luminaribus præfulget! Primus tamen iustæ æstimationis decreto habitus, omnium se vltimum haberi, tanto culmine eruditionis prouectus, votis & desiderijs omnium totis visceribus lassari, quò altiùs sua se virtus *Extulit, & totum clarauit Musa per Orbem*, eò minore de se sensu, & profundâ ad pedes omnium abiectione, splendoribus suis nubem & latebras obtendere votorum illi summa & scopus fuit. Nuntius diei Phosphorus dum dulcissimo tenebrarum noctis fastidio, mundi in Sole decus, præuio lumine antecedit; cõmunem Orbis lætitiam, & resurgentia, rerum in illo omnium, tripudia, comitatum in ducit. Par Tua Cœlestis Phosphore dignitas, nec minor surgit gloria: qui illo ad immensa Diuinitatis adyta, veloci feliciq; passu, Religionis, Ecclesiæ, Orbis Orthodoxi gaudia cumulasti, omina accendisti: benè venturam tecum boni publici felicitatem, surrectura de tot hostibus, Ecclesiæ militanti trophæa, affuturos intaminatos splendores, quibus tantùm sapientiæ ac pietatis Tuæ, iubar prodromum anteiret. Squallebat de genere illo æuo, profundis ignorantiæ tenebris & Cymmerijs penè noctibus demersa, lux mundi Sapientia, dum iubar veræ fidei in Oriente occideret, nox Hæresum fœdiq; Schismatis vasto horrore immineret: Tu lucernam hanc sub modio positam, rursus super candelabrum extulisti: salutaris doctrinæ ignibus

ad

ad ſuas venturam noctem tenebras damnâſti: diem lucemq; vindicato Orbi, aſſertæq; Eccleſiæ reuexiſti, ſciſſas in degenerem ſectam mentes aureo veræ fidei vinculo, & Gordijs pluſquam nexibus, ad priſtinam vnionem reduxiſti. Debeant vt lubet parenti ſuæ auroræ cunas & pretia gemmæ diuites, pretioſior Hic Eccleſiæ vnitæ vnio, vt omni gemmarum ſplendore illuſtrior, valore pretioſior eſt, ita cœleſti illo ſidere, nobiliorem in BONAVENTVRA Phoſphorum ex merito conuincit. Iam verò ſi & naturæ arcanorum interpretes, & quotidianæ teſtimonium experientiæ, illud Cœleſti Phoſphoro priuilegium conſignet, quòd illius deſideratum iubar, infirma decumbentium corpora, ſæuo dolorum ab æſtu, qui ſe ſub acerbæ noctis tædia intenſiùs torquebant, ad aliquam reſpirationem & temperiem transferat: & hæc Phoſphori iſtius felicitas fuit, quod tantò multiplicis morbi vulnere fatiſcens, & coniurato Hæreſum tot aſſultu, iam penè infirmatum Eccleſiæ corpus ſuæ ſplendoribus ſapientiæ, nouo velut fortiq; ſpiritu animauit. Quanquam & illis quos infirma affligeret valetudo, ſerenum, nec minore beneficio diſpar, Sidus, BONAVENTVRA fulſit. Vos omnes veritatis, quam proloquor, numeroſiſſimos appello teſtes: quos ille aliquâ corporis infirmitate laborantes, illa menſuram neſciente, paterni cordis dilectione, alacribus extremisq; obſequijs, piâ ac eruditâ conſolatione, milleq; cœleſtibus modis & ſtudijs proſecutus, non horas aut momenta, ſed dies noctesq; integras ſacrabat; vt veſtræ ſeu animæ, ſeu corporis integritati laboraret. Quid de illo in DEVM & proximum amoris igne, cuius perennem Veſuuium, Siculâ ardentiorem Ætnâ, calentiſſimo fouit pectore, frigida Oratio memoret? Seraphicæ Religionis domeſticus iſte, Seraphico demùm Phoſphoro hæreditarius, immò cum Materni lactis hauſtu infuſus omni argumento eluxit. Nulla luminis illius ſcintilla, nulla mica emicuit, quæ non magnum Seraphici amoris excitaret incendium, non toto fomite ac ſinu, in vſus & obſequia omnium prorumperet, flagraret, in fauillas & cineres ſolui vellet. Non ardua docendi Prouincia, non publica priuataq; negotiorum moles, impedimento fuit: quominus triſtitiæ nube implicitos dulci alloquio ſerenaret, calamitoſis omnem quam poſſet ferret opem, pauidos confirmaret, omnibus omnia factus, minimis ſe Minorum obſequijs manciparet: vix ſacræ vinculo obedientiæ ab illorum pio exceſſu retrahendus. Sed quóuſq; tandem Auguſtum Eccleſiæ DEI Sidus, Tua Te modeſtiæ nubes, ſub inuolucro habebit, quin dum iam faſtigio pietatis ac ſapientiæ emines, pleniori ho-

D norum

norum luce resplendeas? ac in publicum prorumpas? Legimus plausuq; perenni coronamus nunquam moritura insignium tot virtutum vestigia: Tu exercitatos in hac arena passus, Templo Honoris, ampliùs inferre non dubita. Ast Sole ipso nobilior Phosphorus noster, cùm illius splendorem, suorū luce decorum, extingueret: priusquàm ad augem, Religiosæ venisset eminentiæ, integrum annorum Zodiacum decurrisse non satis habuit: decimo tertio primùm à suscepta Religione anno, Generalis Minister factus, Religiosi honoris, summum culmen ascendit: qui semper summus virtute ac pietate sanctimoniæ gradum ita fecit, vt teneret fastigium. Hic quàm serenum, sine macula lumen inter tot inuidiarum turbines,& assultus vibrauit! Capituli Narbonensis Præses, Seraphicam Seraphici Patris Regulam non minore spiritu illustrauit, ac vt per caliginem maiores flammæ videri solent, ita tunc inter ancipitis famæ nebulas, obtrectationum flabella, enituit serenior Phosphorus, nullibi non illustris. Addere tantæ lucem luci voluit clementissima CLEMENTIS IV. Pontificis manus, Archi-Præsuleum Eboracense Pallium Diuo Doctori offerens: sed de proprio splendere contentus, fatuum honoris lumen, quod vmbras superbiæ post se trahit, religiosis vmbris, quæ lumine diuiniori pulchriùs coruscant, postposuit. Fuge tamen, fuge, quantum lubet honoris vmbram, ipsâ hâc latendi affectatione illustrior Phosphore, vmbra vtiq; lucis comes, sequetur Te tàm diù, donec assequatur. Fateor, fatua hæc honorum lumina, quæ in orbis splendorem rutilant, cineres & fauillas esse, commentitio ignium colore pictas, & meram, si penitiùs scruteris, vmbram. Tuas tamen purissimas manus suis fascibus si attrectauerint, mox vmbras deponent, lucis nonfucatæ elegantem formam induent, nec minùs Tuæ ornamento erunt virtuti, quàm à virtute ornabuntur. Tempus illud ipsum cuius acerba recordatio poscit lachrymas, talem ruentis Ecclesiæ Athlantem postulauit, qualis quantusq; à solis humeris Tuis, ab infracto sapientiæ robore vnicus sperari potuit. En Sacram Vaticani Senatûs Purpuram, Lynceus in dandis ex merito honoribus GREGORIVS Tibi confert! Tu ne respuas? concolor Phosphoro purpureus color est; sed ab illo Tuo in DEVM, DEI Matrem, Diuosq; omnes, amore Seraphico, ab illis roseæ verecundiæ facibus, dibaphum elegantiùs ruborem deriuabit. Hoc verò sublimi loco situm, dum ego Te circumspicio, habeo abundè quidem satis, quo meæ Orationis tenebras irradiem; sed luce penitus inaccessibili, Tuæ perfectionis, hebes ingenium perstringitur: meridiem lectissimi

simi

ſimi ſplendoris ferre nequit, ipsâ dicendorum copiâ inops fit. Eſt hoc ſingulare in cœleſtibus Planetis, vt quò ſublimiùs ferantur, eò meliores in hæc infima operationes ferant: & influxus vberiores diffundant. Nouus hic Eccleſiæ DEI Phoſphorus, quò altiore gradu Romani Curulem ingreditur Capitolij, eò notabiliore veſtigio in arena pietatis progreditur, eò nobiliorem Orthodoxo bono operam, ampliores publicæ felicitati influxus pollicetur. Nec mora Cardinalis Romanæ Eccleſiæ cardoq; nutantium rerum factus, Tiaramq; ſimul Albanenſem indutus, dignas tanto munere curas ac virtutes induit. Concilij Lugdunenſis Præfectus, nihil non Præſide dignum agit, nulla non Oraculorum æmula conſilia promit: Hæreſum ſolertes machinas, vi planè fulmineâ diffringit: quidquid Supremo Eccleſiæ Capiti contraſurgit, ad Petri victorioſos pedes abijcit, & plantâ triumphatrice calcandum ſternit. Vellicat hic præcipuè mihi aurem, illa non tàm verborum, quàm gemmarum grandine fluens Oratio, quam in illomet conſeſſu poſt ſtabilitam, cum Eccleſia Romana, Ritûs Orientalis, vnionem, Seraphicus ceu Roſcius perorans, non tot verba, quot adamantes fecit: non tot geſtus, quot radios fudit, liberaliumq; gemmarum aurifluos eſt iaculatus imbres. Purpurata in illo tunc, magnifico paſſu, inceſſit eloquentia, & quidni incederet? quam Ille, è purpura Diuini in Chriſto Crucifixo ſanguinis, meliùs quam ex Rhetorum fabuloſis fontibus, venâ feliciore delibauit. Vera vtiq; hæc, quia Illius proprij oris confeſſio eſt; cùm Angelico Doctori ſuam demiranti eruditionem, ac de miniſtra tantæ facundiæ quærenti Bibliotheca, DEI in ligno pendentis effigiem oſtenderet: & iſtud eſſe ſuæ dulcis ſuadæ Muſeum è confoſſo Chriſti latere, ſuam omnem elici Hyppocrenem affirmaret.

Atque hic ego, dum vlteriores Phoſpori iſtius ſplendores, quantum per virium tenuitatem liceat, intimiùs explicare ſatago; ſenſim, planèq; ſine ſenſu, ad fatalem eius occaſum delabi me video AA. Video erectas tantarum admiratione virtutum mentes veſtras in luctus & mœrorem deſinere; dum occidentis non iam Phoſphori, ſed Heſperi BONAVENTVRÆ triſtem facio mentionem. Sed procul hinc lacrymæ, faceſſant amari gemitus, & morituris Illuſtribus Viris, ſolita dolentium animorum tributa. Occidit quidem lege mortalitatis ineluctabili, ſed vt immortalem ab ipſo occaſu ordiretur lucem, & cùm humanâ fatorum nube extingueretur, vt inter nos demum homines, luce inextinguibili æternùm radiaret, abundè prouidit Seraphicus BONAVENTVRA. Occidentem oriente Sole

 Auro-

Auroram, eâ solers Symbolographus, inillustrauit inscriptione: Dum Pario Pereo: Non dispar istius Auroræ felicitas; immò gloria maior, dum tot miraculorum splendoribus, omni sæculo nitet, dum tot monumentorum ac voluminum eruditos fulgores ac diem sapientiæ, duratura sine occasu parit, medios inter labores occidit: si tamen occidisse dici debeat, qui etiamnum hodie adeò illustris fulget, & in perpetuas æternitates fulgebit, quasi firmamenti stellæ, quòd erudierit multos ad iustitiam.

Hoc igitur fortunatissimo in occasu Tuo, qui lucis perennaturæ auspicatur Tibi orientem, meam obscurari necesse est eloquentiam, Illustrissime ab vmbra mortis Phosphore. Dum illa iam inter siderum luminumq; cœli atria, euecti splendores Tui eminent, altiores sunt; quàm vt à me sublimiùs attingi possint, qui vmbræ tantùm instar sanctissimæ ac sapientissimæ vitæ Tuæ lucem hucusque sum comitatus. Animata olim Solis exortu fuisse saxa, vetus eruditio legendum posteritati transcripsit: ego in occasu Tuo, imò veriùs, in hoc æternæ beatitudinis exortu, elinguem me agnosco: adultisq; iam & supremis famæ fortunæq; Tuæ fulgoribus perstrictus, facundiam inculti oris lapidescere fateor, si diutiùs in Tui splendoris lucem irrumpere præsumat. Reliquum immo vnicum mihi est: vt ad Te Sidus lucis iam incomprehensibilis beatissimum, felicisq; inter Empyrei ignes, perpetuum sine occasu accendens Phosphore orientem: Voti supplicis flagrantissimos ardores fundam: vt ferales Orientis tenebras; quæ à Præside Noctium Luna, ad ecclypsandam Europæ totius lucem, tanto horrore surgunt; Tuæ radio protectionis tollas & dispangas. Ad Illum, qui solium luminis inaccessibilis inhabitat, Iustitiæ Solem, supplex Te prosterne: vt aurei Ecclesiæ, Patriæ, Academiæ, Religioniquc Tuæ, soles refulgeant, imminens Poloniæ finibus auferatur LVNA.

D I X I.